

Hic est dei venerator fidelis, verax, iustus.
 Hic est magnus imperator; cesar est augustus.
 Hic est dei adamator a vite innocentia;
 hic reorum castigator dives in clemencia.
 Hic est pacis adamator summo placens regi;
 hic est hostis expugnator iuste subdens legi.
 Hic Karolus imperator cesar, rex prenobilis;
 hic est regum dominator sed mitis valde humilis.
 Hic templorum fabricator pro divina laude;
 hic mestorum consolator, pius absque fraude.

Et quia tot et tanta bona in augusto ·N· amisimus, lamentari et plorare debemus, quia *cecidit* (fol. 64^v) *corona capitis nostri*. Heu nobis, *quia peccavimus*, Thr.^b [5, 16]. De morte conquerentes dicere possumus: *Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo; destruxit me undique et pereo*, Iob. 19, 9. Eapropter *hodie in requie mortui requiescite et fac memoriam eius*, Eccli. 38, 24. Fac ergo memoriam eius, quia *in memoria eterna erit iustus; ab audicione mala non timebit*, in Ps. [111, 7].

Nota quod hanc distinccionem¹⁸⁾ precedere debet ista figura: *En, ego morior, et erit deus vobiscum*, Gn. 48, 21. Ubi ostenditur

persone demonstracio,	genus, parentela;	En ego
vite terminacio,	maiorum sequela;	morior
bonorum optacio	pro statu et tutela;	et erit
divina gubernacio,	salus et medela.	deus vobiscum.

De primo Ap. [22, 16]: *Ego sum genus et radix David*. Ego Karulus filius illustris regis Iohannis, ego nepos divorum Heinrichi et Karoli¹⁹⁾ imperatorum; ego *sto ad hostium et pulso* [Ap. 3, 20]. *Ego quos amo arguo et castigo* [Ap. 3, 19]. *Ego diligentes me diligo*, Pr.^c [8, 17]. Pro secundo: Abraham *mortuus est in senectute bona*, Gn. [25, 8].

^{b)} Iere Ms.

^{c)} Apo Ms.

¹⁸⁾ Mit distinctio müssen die Reimzeilen Hic est dei . . . gemeint sein; der auf Nota quod precedere debet folgende Text schließt sich sehr gut an das Dt.-Zitat bei dixi primo an, und mit den Reimzeilen S. 219 ist die unmittelbare Verbindung gewonnen zu dem, was oben auf das genannte Dt.-Zitat folgt.

¹⁹⁾ Über die Einreihung Karls d. Gr. in den Stammbaum Karls IV. vgl. z. B. J. Neuwirth, *Der Bildercyklus des Luxemburger Stammbaums aus Karlstein* (1897) 23 ff.; auch K. Hauck, *Geburtsheiligkeit*, in: *Liber floridus* (1950) 207 f.